



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

76 Distributiones quotidianæ ab haeretico perceptæ quibus accrescunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

DECISIO LXXV.

Ex consil. 33. in Nouis. deest in antiquis.

**C**apellania perpetua iuris patronatus, si (vt licet) per ordinarium ad Manualem reducat, beneficium esse desinit, & simplex beneficium efficitur, ad quod patronus sine alia Episcopi approbatione quemcumque deputare potest, & deputatum remouere; quod si postea impetretur vt beneficium, non tenet institutio, nisi iterum de Manuali per Episcopum in beneficium ecclesiasticum instituat.

DECISIO LXXVI.

Ex consil. 29. in Nouis. deest in antiquis.

**D**istribuciones quotidianas, quas canonicus hæreticus occultus accipit, si postea abfoluat cum retentione canonicatus, canonicis illis restituere tenetur, quibus accreuerunt si ipse non interfuerit.

DECISIO LXXVII.

Ex consil. 33. in Nouis. deest in antiquis.

**C**um omnis expressio falsi, quæ principem ad gratiam facilius concedendam mouere possit, eam subrepticam reddat, cap. Super lucris, de rescr. consequenter impetrans beneficium exprimendo se teneri ad soluendam pensionem, quam iam licite redemit, non solum peccat, sed etiam gratiam perdit.

TITVLVS IV.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

S Y M M A R I V M.

- 1 Coadiutor datus alicui ex fructibus beneficii ab eo administrandi sustentare debet.
- 2 Coadiutor datus alicui, quænam facere potest.
- 3 Beneficio ob superuenientem amentiam quis priuandus non est.

DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 2.

**C**oadiutores, qui iure communi dantur Prælati beneficiarij, vt adiuuent eos in his, quæ ipsi facere tenentur, & non possunt, c. de rectoribus, & c. si de clericis ægrot. Inn. in c. nisi cum pridem, de renun. sustentationem habere debent ex fructibus, & redditibus beneficiorū, ad quæ administranda designantur, d. c. de rectorib. & c. 1. de cler. ægrot. in 6. Quæ sustentatio eis conceditur pro obligatione faciendi ea, quæ beneficiario agenda incumbunt, cum beneficium datur propter officium, c. si. de rescr. in 6. & c. 1. de clericis ægrot. in 6. Coadiutores verò extraordinarij, & qui conceduntur cum futura successione, ea solum facere possunt, & lucrantur, quæ illis ex Papæ concessionem permittuntur.

DECISIO II.

Ex consil. 2. alias 3.

**C**oadiutor Episcopo datus Archiepiscopo propter necessitatem cum futura successione, & facultate exercendi spiritualia, & temporalia, quæ iure, vel consuetudine ad coadiutoris officium pertinent, absente Archiepiscopo, vel annuente, potest exercere, & benedictionem dare potest, pallio tamē vt non potest, donec sit Archiepiscopus, vel moriatur, aut cedat Archiepiscopus. arg. c. Nisi. & c. ex tuarum, de auct. & vsu pallij, nec beneficia conferre, vel alia exercere valet, quæ is, cuius est coadiutor per se vult, & potest exercere; cum ad Coadiutoris officium de iure non pertineat ea, quæ principalis recte potest, & vult agere per se, nec coadiutoris consilio, aut auxilio vt vult. Arg. c. Pontifices, & c. petisti 7. q. 1.

DECISIO III.

Ex consil. 1. in Nouis. deest in antiquis.

**B**eneficium iuste possidens, si postea in amentiam incidat, eo priuandus non est, sed et a superiore coadiu-

tor dari debet, manente iure beneficii in illo, etiā si amens sit. Arg. c. tua. de clericis ægrot.

TITVLVS V.

De concessione prebendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

Hic titulus deest in Nouis.

S Y M M A R I V M.

- 1 Beneficia sine diminutione conferri debent.
- 2 Simonia mentalis nullam penam infligit, nec restituere obligat.
- 3 Episcopus licet perdat beneficia habita, ad alia tamen habenda non fit inhabilis.

DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 1. vt eccl. benef. sine diminutione conferantur.

**O**rdinarius in beneficii collatione collatarium iuramento adigere nequit, quod non renunciat beneficium cum pensione in alicuius fauorem, aut quod non permutabit illud, sed tantum purè, & liberè, & simpliciter renunciat in manibus Papæ, vel ordinarij, si illud renunciare, vel permutare valuerit; eo quod beneficia sine diminutione conferenda sunt, c. 1. vt eccl. benef. collatum autè beneficium cum huiusmodi onere, & pacto, nõ solum beneficij pretium minuit, ca. cum Ioannes, de fide instr. sed etiam simonia sapit, eo quod in collatione inuenit conditio, modus, vel pactum quod iure non inest acti conferendi, vel recipiendi beneficium, c. significasti, de elec. & gl. & Fel. in c. ad audientiam, de rescr.

DECISIO II.

Ex consil. 2. deest in Nouis.

**Q**uamuis sola voluntate dandi, aut accipiendi spirituali pro temporali, simonia committi potest, cum Simonia sit voluptas eruendi, aut vendendi spirituale pro temporali, gl. in summa 1. q. 1. & Nau. in Man. c. 23. n. 100. ad eo vt laicus nullā habens potestatem conferre vellet aliquod spirituale pro temporali, simoniā committeret, non minus, quam qui furari vellet, furtum committeret, licet non furaretur. c. Sic cui, de penit. d. 1. Per huiusmodi tamē simoniā mentalem nulla pena, aut censura incurritur, c. fin. de simon. nec aliqua restitutionis obligatio inde inducitur.

DECISIO III.

Ex consil. 3. alias 15. de elect.

**E**piscopus, licet per consecrationem beneficia habita perdat, ad alia tamen futura habenda non fit inhabilis. Arg. c. licet canon. & c. commissis, de elect. in 6. præsertim Episcopus titularis; sed neque Cardinalis ad beneficia saltem simplicia obtinenda inhabilis est. ex Pan. in c. ecclesia vestra, nu. 2. de elect.

TITVLVS IX.

De his, quæ fiunt a maiore parte Capituli.

S Y M M A R I V M.

- 1 Administratio honorum Monasterij tota Abbati incumbit.
- 2 Professionis receptio, an ab Episcopo sine Capitulo fieri possit.

DECISIO I.

Ex consil. 1. in vtrisque.

**A**lias licet sine conuentus, aut prioris consensu bona Monasterij alienare non possit, cap. Sine exceptione, 12. q. 2. pensionem tamen constitutioni assentire sine eorū consen-